



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XCIII. De Missæ celebratione, applicatione, & Sacerdotis obligatione  
&c.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

q. 83. a. 6. dub. 2. Gobat n. 143. Major, Henriq. Reginald. Trullen. alique plures, Contra Suarez. Lug. Tamb. Coninck. Fagund. & alios.

Moventur ea ratione, quòd illa successiva auditio, licèt non terminetur ad unam Missam integram physicè, terminetur tamen ad unam Missam integram moraliter, & duæ tales partes æquipolleant uni unicæ integræ, nec Ecclesia præcipiat, ut audiat tota Missa unius, sed ut tota; auditur autem tota, quando omnes partes illius sic audiun-

tur, esto non omnes legantur ab uno Sacerdote, sicut nec ab uno eodèmq; leguntur, quando uni non valenti ob supervenientem infirmitatem pergere in Missa jam cœpta, succedit alius, qui supplet.

Ex his patet, sententiam hanc nec ratione, nec magna auctoritate destitutam esse, atque ad eò verè, & practicè probabilem fore, quæ proin tamdiu in vera sua probabilitate manet, quamdiu aliud à Sede Apostolica non definitur.

## C A S U S X C I I I .

### *De Missæ celebratione, applicatione, & obligatione Sacerdotis.*

**U**Go Sacerdos, licèt nunquam, vel rarissimè per annum Missam legat, hoc tamen anno feria V. in Cœna Domini Missam celebravit in Sacello suo domestico, & die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum pro patre suo die præcedente defuncto.

*QUÆR. I. An Liceat cuivis Sacerdoti privatim Missam celebrare die Jo-vis Sancto, & Sabbato Sancto?*

*QUÆR. II. An in die animarum, seu Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum Sacerdotes Missas applicare debeant generaliter pro omnibus*

bus fidelibus Defunctis, anve etiam in specie pro aliquo, vel aliquibus in particulari applicare possint?

QUÆR. III. An, & quomodo delinquat Sacerdos simplex, qui raro, vel nunquam infrà annum Missam celebrat?

547

**A**D I. Q. Licitum esse cuius Sacerdoti die Jovis Sancto privatim & secluso scandalo celebrare, saltem ante inceptam Missam solennem, docent Navar. *cap. 25. n. 88.* Valq. *tom. 3. D. 232. cap. 2. n. 15.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tr. 3. p. 3. cap. 8.* Averfa *q. 11. S. 15.* Tamb. *l. 1. c. 6. §. 1.* Suarez *D. 80. S. 2.* Emmanuel *Sà V. Missa n. 23.* Gobat *t. 3. n. 219.* Sotus, Lugo, aliique cum & apud Diamnam *p. 9. tr. 9. R. 24. & p. 4. tr. 6. R. 19.* & apud La Croix *l. 6. p. 2. dub. 3.* qui sententiam hanc satis communem appellat. *n. 231.* Rationem dat Vasq. l. c. quia neque jure scripto, neque consuetudine vetitum est hac die Missam celebrare.

Verùm ad consuetudinem quod attinet, hæc pluribus in locis obtinuit, ut uno celebrante reliqui communicent, in memoriam Christi Domini Apostolos communicantis, ejusdemque passionis, quam consuetudinem utique piè, ac laudabiliter servari convenit, quin & Tambur. l. c. fatetur, hanc esse praxim consuetam, & ipse

Vasq. l. c. ait convenientius esse, ut eo die reliqui Sacerdotes præter solenniter celebrantem à celebratione abstineant, & ad imitationem Apostolorum de manu Christi, Eucharistiam accipiant. Imò Gavantus *Tit. VIII. de feria V. in Cena Domini.* affert Rescriptum S. Rituum Congregationis datum 27. sept. 1608. jubentis, ut Clerus ea die in Missa communicet, quod servandum esse ait. l. c. n. 6.

Sabbatho Sancto cuius pariter licere ob justam causam, & amoto scandalo, privatim celebrare censuerunt Sotus *dist. 13. q. 2. a. 2.* Sylv. Garc. Amic. Leand. Suarez l. c. Azor. Tambur. l. c. ubi ait nullam de hoc adessè prohibitionem, & si quæ fuit, jam abrogatam esse usu etiam timoratorum.

Verùm contrarium hodie cum aliis tenendum est tum ob consuetudinem, quæ jam invaluit, saltem in hisce partibus, tum quia sacra Rituum Congregatio die 12. Febr. anni 1690. & die 11. Mart. ejusdem anni censuit celebrationem

nem Missarum die Sabbathi sancti omninò prohibendam in quibuscunque Ecclesiis & Oratoriis privatis, atque unicam Missam solennem celebrandam fore præcepit; sic enim loquitur: --- *In Sabbatho sancto omninò prohibentur Missæ private in quacunque Ecclesia, aut Oratorio privato, non obstante contraria consuetudine.*

548 Ad 2. Q. Communis sententia hæctenus habuit apud La Croix l. 6. p. 2. n. 515. ut in testarum Missa ex intentione Ecclesiæ applicetur omnibus Defunctis in communi: Unde Gavantus p. 4. in Rubr. Miss. tit. 15. ita loquitur: Hoc loco monendi sunt Sacerdotes, sacrificium Missæ Defunctorum hac die applicandum esse omnibus defunctis ex intentione Ecclesiæ, neque ideò sit injuria iis, pro quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ; prævalet enim lex tacita rationabilis Ecclesiæ legi privatæ testatorum. Et licèt neuter Doct. ulteriorem rationem ibi afferat, suaderi tamen potest Ecclesiæ mens, & intentio hisce rationibus à Tambur. l. 3. cap. 3. §. 1. n. 9. adductis. 1. Quia hoc consuetudine ita introductum esse videtur. 2. Quia in titulo primæ Missæ Defunctorum dicitur: *Missæ in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum: si omnium*, ergo non unius, vel alterius in particulari; præsertim cum & oratio in Missa illius diei sit ge-  
R. P. Leonardelli Soc. Jesu,

neralis pro omnibus Defunctis. 3. Quia mens Ecclesiæ in tali solemnè die videtur esse ut generaliter omnes Defuncti, etiam qui aliàs destituti sunt aliis suffragiis, sic adjuventur. 4. Quia etiam in Missis quotidianis Foundationum propter pietatem erga purgantes animas ita præsumi potest voluisse quoscunque Missarum Fundatores. Hæ tamen rationes non videntur Tambur. l. c. inducere obligationem, & præceptum, sed consilium duntaxat, & convenientiam, nec apparere, eam consuetudinem sub obligatione introductam esse, quod confirmat Responsum, quod legitur, datum à S. Rit. Congregatione 4. Aug. 1663. quòd eo die Missa applicari possit tum in genere pro omnibus, tum in specie pro aliquibus Defunctis; cui, si authenticum est, poterit, qui vult, se conformare; ego in praxi sequor piam sententiam in suffragium, & auxilium tot animarum, quibus alàs pauci, vel nulli suffragantur eo solemnè die ab Ecclesia in solatium, & subsidium omnium Defunctorum piè ac sanctè instituto, idque menti piæ matris Ecclesiæ conformius esse censeo,

Ad 3. Q. An simplex Sacerdos vi solus Ordinis aliquando obligetur ad sacrificandum? 549

Non nulli etiam magni nominis DD. cum D. Bonavent. in 4.

Fff

dist

dist. 12. p. 2. a. 2. Cajetan. in 3. p. q. 82. a. 1. Gabr. Soto, Victor. Angles, Dian. Tambur. aliisque censuerunt, non obligari Sacerdotem vi solius Ordinis ad sacrificandum, adeoque non peccare, saltem mortaliter, etsi intra annum, raro, vel nunquam sacrificet, dummodo in Paschate communicet & absit contemptus, eò quòd nullo jure id sit expressum, nec appareat præceptum cum tanto rigore obligans, ut ait Tambur. l. 1. cap. 6. §. 2.

§ 50 Verùm dicendum, quemlibet Sacerdotem ratione Ordinis, & Officii sui Sacerdotalis graviter obligari ad hoc Sacrificium aliquoties offerendum, in præcipuis saltem festis, & maximè illis diebus, quibus fideles communicare solent. Ita S. Thom. in 3. p. q. 82. a. 10. Navar. Man. c. 25. n. 88. Suarez D. 80. S. 1. Vasq. D. 252. c. 1. Averl. de Euch. q. 10. S. 1. §. Quarto. Sylv. Regin. Durand. Palud. Tolet. Laym. aliique quàm plurimi, quorum sententia inquit Sporer n. 461. communior, & sine dubio probabilior est. Prob. 1. Ex Trident. Sess. 22. c. 1. de Sacrif. Miss. ubi loquens de Christo Apostolos Sacerdotes ordinante, eisdem, inquit, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit. Et idè etiam S. Pius V.

contrariam doctrinam Cajetani expungi jussit ex ejus Commentario.

Prob. 2. Ratione à S. Thoma adducta l. c. ubi ita loquitur: unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cum fuerit opportunum secundum illud 1. ad cor. 6. Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: Opportunitas autem Sacrificii offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi, quibus oportet Sacramenta ministrare, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus Sacramenti Sacrificium offertur: unde Sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omninò à celebratione cessare. Hæc ille; talis autem Sacerdos qui raro, vel nunquam Missam legit, abutitur gratiâ sibi concessâ contra citata Apostoli verba. Accedit, quòd eam obligationem satis interpretetur sensus communis, & praxis Sacerdotum, timoratorum.

Certè talis, nomine duntaxat, Sacerdos exiguam sanè suæ, & alienæ salutis curam ostenderet, & minorem adhuc æstimationem tam sublimis, & excellentis dignitatis, qualis est Sacerdotium, quod suscepit; si enim Sacrificare renuis, cur Sacerdotium assumpsisti? si pauper es, cur thesaurum sub terra latentem effodere

dere recusas? Si ex patrimonio Christi vivis, & fors opiparè, cur debitum servitium ei præstare negligis? Si æger es, uti planè es, cur medicinam respicis? Audi Bedam apud Gabriel. *lect. 87.* non de te, sed de Sacerdote non quotidie celebrante loquentem: *Sacerdos, inquit, non legitime impeditur celebrare omittens, quantum in eo est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria, Angelos latitiâ, peccatores veniâ, justos subsidiò, & gratiâ, in Purgatorio existentes veniâ, Eccle-*

*siam speciali Christi beneficio, & se ipsum medicinâ, & remedio. Neque dicas velim, S. Hieronymum Presbyterum Missas non celebrasse; nam id falsum esse demonstrat Surius in ejus vita n. 22. Dein cum & tu ad eum Sanctitatis, & humilitatis gradum perveneris, & tibi ita cordi fuerit eremus, & solitudo, facilius tunc veniam obtinebis, & dignitatem tuam, ac Officium pluris etiam æstimare disces.*

## CASUS XCIV.

### *De Dedicacione, seu Consecratione Ecclesiæ.*

Consecrata fuit nuper ab Episcopo nova Ecclesia quorundam Religiosorum, ubi functio Consecrationis duravit ferè usque ad meridiem diei Dominicæ, quæ erat secunda post Pascha. Ubi exortâ inter ipsos Religiosos contentione, & controversiâ, quæsitum fuit.

*QUÆR. I. Utrum Consecratio, & Dedicatiò juxta Rubricas sint idem?*

*QUÆR. II. Utrum Religiosi illi pridie Consecrationis dicere possint Vesperas &c. & postridie Matutinum cum Laudibus &c. de Dedicacione?*

*QUÆR. III. Utrum privato in Sacello valeant Missam celebrare, (eo tempore, quo Consecratio actu durabat, & necdum erat completa) de Dedicacione?*